

E P I T O M E.

Post conciliatam inter Gallum & Sabaudum pacem, cum bellici nihilominus apparatus ab Hispanis in Insubria fierent, ad avertendum novum in Italia bellum nihil operae & consilii a Veneto praetermissum, donec oborta suspicio discussa est. Andreas Auria, maxima comparata classe, in Africam trajiciens, cum vix se in Algerii conspectum dedisset, irrito incepto revertit. Neapolitani ac Siculi Proregum piraticae artes Philippi III. jussu coercitae sunt. De Venetiarum Patriarcha (Patrum suffragiis designatus erat Matthaeus Zannius) Romam mittendo, ut de ejus doctrina coram Pontifice periculum fieret, Clementis ac Senatus jurgium fuit: tandem Zannio cum bona Senatus venia Romam profecto, Clemens cum ipsi, tum Reipublicae plurima dedit atque honestissima voluntatis suae testimonia. Pseudosebastianus Venetae ditionis finibus abire jussus, a Magno Etruriae Duce Hispanis traditus, ad transtra damnatus est. Epirotarum oratores a Venetis auxilia ad excutendum Turcarum jugum flagitantes, benigne Senatus allocutus, cum muneribus dimisit: auxilia non e republica visum concedere. Quod Turcae Anglis immixti maria omnia latrociniis foedarent, Patres apud Elisabetham conquesti sunt. Ne quis templa, aut collegiorum domicilia tota Veneta ditione, imprudente Senatu, excitaret, lege cautum est. Agustinos (parvam insulam in sinu hadriatico incolunt sub Epidauriorum imperio) qui se suaeque in Venetorum ditionem dedebant, minime in fidem recipiendos Senatus censuit. Cum eos tamen ab Epidauriis perdomitos, iterum tumultuantes, Epidauriis expulsis, Venetae Reipublicae signa ultro sustulisse, nuntiatum esset; Senatus arci imponi praesidium imperavit. Foedus cum Rhaetis percussum est. Literae & dona a Persarum Rege allata. Henricus III. Galliae Rex egregium Reipublicae munus, eadem, quibus indui tot in bellis victor solitus fuerat, arma misit, quae nobili loco reponenda Senatus curavit. Cum Achomate, Turcarum Rege, qui Mehemetis in locum successerat, pax instaurata. Fuentanus, Mediolani gubernator, Rhaetis infestus: horum cum Hispanis conventa. Padus in novum alveum traductus est. Alia aliis temporibus opera facta ad avertendum Medoaci cursum describuntur. Clementi VIII. extincto Leo XI. huic vero, qui viginti haud amplius dies vixerat, successus est Paullus V. Burghesius. Piraticam suis Angliae Regina interdixit: hoc idem postea & Hispaniae Rex praestitit. Termini inter Venetas ac turcicas ditiones amoti, ut iterum restituerentur, haud aegre a Turcis Veneti impetrarunt.